



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 10. Dubium de titulo Imperatoris Constantinopolitani a Papa Regi
concesso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. X.

Sæcul. XV.
A.C. 1495.*Dubium de titulo Imperatoris Constantinopolitani a Papa Regi concessio.*

Joannes Tillius in suo Chronico, quod Spondanus laudat, factum relatu prorsus dignissimum refert, quamvis illud ceteri Scriptores silentio prætereant: hic ergo recenset, renunciatum fuisse Carolum a Pontifice Imperatorem Constantinopolitanum: qua vero ex causa Alexander id fecerit, Tillius haud memorat. Habemus nos, subjungit Spondanus, præ manibus exemplar publici instrumenti, cujus archetypum reperitur in Archivo Capitolino Romæ, facti anno superiori die sexta Septembris, quo Andreas Palæologus asserens se proximum successorem Imperii Constantinopolitani, utpote filium natu majorem Thomæ fratris Constantini ultimi Imperatoris a Turcis in obsidione urbis cæsi ac sine liberis defuncti, audito, quod Carolus VIII. Rex Francorum in animo haberet Turcam bello impetere, quo alacrius id gloriosi operis susciperet, in ipsum ac Successores ejus Reges Francorum transtulit supradictum Imperium Constantinopolitanum, cessitque donatione inter vivos irrevocabili omnia & singula, quæ ipse haberet in eo, necnon in Trapezuntino, reservato sibi tantummodo

*Tilius in
Chron Spon.
ad hunc ann.
num. 2.*

Sæcul. XV. A.C. 1495. modo Despotatu i Moreæ seu Peleponesi, cuius scilicet Andreæ ipsius Pater fuerat olim peculiaris Dominus. Huius igitur cessionis jure, addita Sedis Apostolicæ auctoritate fuerat Carolus a Pontifice renunciatus Imperator Constantinopolitanus, & qui iter Regis Neapolitanum relegerunt Scriptores, non abs re dixerunt, Regem ingressum esse Neapolim habitu Imperiali, & Cæsarem Augustum salutatum. Verum ad stabiliendam rem adeo memorabilem plane altis longe certiora desiderantur documenta, præcipue ubi apud Auctores coævos altum hac de re silentium habetur (*).

Addit. ad Monstrelet. Comm. l. 7. cap. 12.

§. XI.

Rex Roma Neapolim profectus.

Comm. ibid. cap. 11. Demum Carolus feria quarta die vigesima octava Januarii Roma profectus est, præmissis belli tormentis, ac potissi-

(*) Lutherus absque omni verisimilitudine in infami suo libello adversus Papatum Romanæ a Sathana fundatum edit. anno 1545 ad finem hæc habet: Papa Leo X. Regi Francisco, qui hodie rerum Gallicarum potitur, imperium Constantinopolitanum dono dabat. Nisi Rex solertior & ingeniosior Papa fuisset, & illius stultitiam contempisset, quos jocos, quos risus ex hoc Constantinopolitano Imperio captare potuisset. Vid. sup. lib. CXVII. §. LXXV. p. 563.